

maluit. Audiant hoc sponsi et mariti, ne consortes suas statim aversentur et infamiæ exponant ob eorum excessus aliquos : multo minus, cum solummodo suspectas de alieno amore habent. Audiant Josephum facem amoris conjugalis sibi præferentem.

IV. Dicit sponso : Honora sponsam tuam, sicut ego honoravi meam. Quanto et quo honore affecti? Primo, uti jam indicavimus, dum honori ejus consuluit, a se ut etiam si rea esset, nollet eam traducere, hoc est publicæ infamiæ exponere; desiderans saltem sopire et sepelire ejus delictum (si tamen deliquisset) ne honestissimæ conjugii labem aspergeret. Unde S. Chrysostomus, hom. IV. in Matth. scribit : « Certe si Maria talis fuisset, qualem illam suspicio fingeat, non modo publicari meruerat, verum etiam ex legis auctoritate puniri : sed Joseph non solum majus, sed id quoque, quod erat minus, pariter indulget nempe pudorem. Non tantum eam damnare noluit, sed ne publicare quidem. Vidisti nempe virum sublimiter philosophantem, etc. » Audiunt hoc viri, qui licet nondum certi de uxorum transgressione, statim eas judicant, aversantur et condemnant; quam dissimiles sint Josepho. Atque ut magis instruantur, audiunt eum rursum non loquentem, sed silentem et silentii conjugem suam honore prævenientem. Ipse enim licet pater Christi matrimonialis, adeoque præses sanctæ suæ familiæ esset, non tantum voluit prior alioqui et interrogare filium Jesum, quamobrem ipso et matre insciis remansisset in Jerusalem per triduum; sed eum honorem conjugii suæ concessit, quasi digniori, et naturali ejus matri. Ad hæc cum vidisset eam a montanis reducem, gestare uterum, non est ausus interrogare eam, quidnam ei accidisset, et unde gravida esset; utique ex reverentia cum sciret eam alioquin omni virtute præditam, Deoque conjunctissimam semper fuisse. Denique cum iter faciendum esset, non dubium quin sponsam in jumentum sublatam pedes ipse consecutus fuerit, uti semper pingi solet. Docentur ergo a Josepho mariti, quid honoris et reverentiæ suis debeant conjugibus, ut scilicet honoratiorem locum subinde, cum id consuetudo loci vel alia ratio dictat, eis deferant nec probrosa nomina dent, sed meminerint quod monet S. Petrus, ep. I. cap. III. *Quasi infirmiori vasculo honorem impertiri, tamquam cohæredi gratiæ vitæ.* Sic enim vitrea et crystallina vascula cautius gestamus et asservamus quam argentea; non quod sint pretiosiora, sed quod fragiliora et acceptiora.

V. Dicit sponso : Cave, ne deseras sponsam tuam quacumque occasione, seu in lætis seu in

tristibus rebus. Id enim nec ego feci. Fuit sane Josephus individuus sponsæ suæ comes, sive blandiente, sive novercante fortuna. Simul eunt in Bethlehem, evicto edicto Cæsaris simul pergunt Jerosolymam ad sistendum Dei Filium : simul fugiunt in Ægyptum, simul inde redeunt : simul cohabitant in Nazareth, quoad usque mors Josephi eos dirimeret. Sed fortasse semper læta eos arrisit fortuna? Minime gentium. Excluduntur civitate et diversorio in Bethlehem, et ad stabulum compelluntur : num deservit conjugem Joseph? Nequaquam. Audiunt Herodem filio sponsæ iratum et necem machinantem. Num fugit ab ea Joseph? Minime gentium. Audiunt sibi emigrandum itinere prolixo in Ægyptum propter Jesum. Num solam ablegavit eo matrem cum filio, ipse domi remansit? Nullo modo, sed ipsa una cum conjugem exulare voluit, manendum in Ægypto inter barbaros erat, usque dum monebantur divinitus. Discessitne interea Joseph a conjugem moræ prælogæ et incertæ impatiens? Haudquaquam; sed per omnia adversantia constanter ei adhæsit usque ad mortem. Hoc est, quod in nuptiis proponi et inculcari solet sponsis, ut videlicet tam in prosperis quam in adversis se mutuo non deserant. Nec video profecto qua ratione id fieri queat. Cum enim vir et uxor sint *unum animal*, ut loquitur S. Chrysostomus, homil. XVII. in Matthæum, sicut anima rationalis et corpus constituunt unum hominem, nonne si unus alterum deserat, seipsum quasi necat? Si cui moritur uxor, is uxorem quidem non habet, sed potest aliam ducere. Qui autem uxorem deserit, is nec uxorem habet, nec aliam potest ducere. Sanctus Ambrosius, in lib. de paradiso, cap. XI. ait, talem virum quasi *sine domo* esse, siquidem dicitur Genes. II. ædificata esse a Deo, quasi domus Adami, scilicet : « Bene ædificavit, dixit, ubi de mulieris creatione loquebatur quia in viro et muliere domus videtur quædam plena esse perfectio. Qui sine uxore est quasi sine domo sit, sic habetur. Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur. » Ex quo perspicimus eum, qui uxorem suam deserit aut expellit, seipsum domum spoliare. Sed audiamus rursum Ambrosium, l. VIII. in Luc. ita loquentem : « Audi quid dicat Dominus : Qui dimittit uxorem, facit eam mœcham. Etenim cui non licet vivente viro mutare conjugium, potest obrepere libido peccandi. Itaque auctor qui erroris, etiam reus culpæ est. Quo cum parvulis facta dimittitur? Quo titubandi vestigio grandæva detruditur? Durum, si excludas parentem, pignora teneas, ut ad contumeliam charitatis addas etiam pietatis injuriam.

Darius si propter matrem filios simul pellas cum magis redimere a patre debeant quidam parentes. Quam periculosum, si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras. Quam impium, si ejus destitutas senectutem cujus defloraveris juventutem, etc. »

Sed finiamus et pro conclusione redeamus ad Josephum, quem tibi, sponse, in exemplar et præceptorem proposui. Si alimenta domui tuæ, si felicem in conjugio tuo progressum, si Dei benedictionem desideras, ito ad Joseph, et quidquid ille tibi in hac exhortatione dixit, facito. Imitare inquam facta illius, sequere vestigia ejus. Cole Deum, labores manuum tuarum manduca, ama, venerare et ne desere conjugem. *Sic beatus es, et bene tibi erit.*

CONCIO XXX.

SPONSARUM IDEA S. MARIA VIRGO.

Quando Deus mandavit Moysi, ut tabernaculum seu sanctuarium, in quo inhabitaret, in deserto sibi extrueret, prius id delineavit in monte Sinai, et exemplar ei proposuit, ad illius formam ædificandum, addens : *Inspice et fac secundum exemplar, quod in monte monstratum est*, Exod. XXV. Sensu allegorico per hoc tabernaculum recte intelligimus Sanctam Mariam Virginem, in qua Dei Filium novem mensibus habitare voluit. Unde Psal. XVIII. de ea dixit David : *In sole, h. e. in manifestatione lucis evangelicæ, posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo* : ubi Hugo card. *Tabernaculum inquit, fuit B. Virgo, in qua ipse armavit se armis nostræ mortalitatis.* Tabernaculum hoc delineavit et effinxit Deus et in monte Nazareth, siquidem illa Luc. c. IV. teste, in monte sita fuit, et proposuit in exemplar nuptis et uxoribus christianis, ut juxta formam illam, et ipsi domus suas ædificent, secundum id Prover. XIV. *Sapiens mulier ædificat domum suam*, h. e. erigit, conservat, locupletat. Quod ut faciat etiam sponsa præsentem sponso suo, proponemus ei in exemplum sapientissimam et sanctissimam illam S. Josephi sponsam, Dei matrem.

I. Bonæ conjugis est, amare virum suum. Ita enim apostolus ad Tit. II. doceri vult adolescentulas, ut *ament viros suos*. Quantum vero amarit Maria V. sponsum suum, inde colligit S. Bernardinus Sennensis, tom. III. ser. de Joseph. « Quia revera Virgo, inquit, quanta erat unitas matrimonii in spirituali amore, agnoscebat et sciebat

Josephum sibi a Spiritu s. datum in sponsum, et in suæ virginitatis fidem custodem, et ad participandum secum in charitatis amore, et obsequiosa sollicitudine erga divinissimam prolem Dei : ideo credo, quod totius ex cordis affectu eum sincerissime diligebat. Amplius cum omnia, quare sunt uxoris, sint viri, credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Joseph recipere poterat, ei liberalissime exhibebat. » Itaque sponsa Josephi imprimis optime agnovit se cum sponso suo unum quid efficere, ipsumque esse quasi animam suam, se vero corpus ejus; quomodo igitur non potuit non maxime diligere? Dein novit illum peculiari Dei providentia sibi adjunctum, vel ut fidelissimum virginitatis suæ, quam præ omnibus thesauris dilexit, custodem quasi angelum terrestrem. Quis autem non tenerrime diligit eum, cujus custodiæ et vigilantia debet thesaurum suum? Denique perspexit communem secum curam de filio gerendum Josepho mandatam esse : quomodo non maxima animorum unione hanc curam susceperunt et gesserunt? Non ab similes causæ sunt, quæ urgent sponsas alias, ut et ipsæ viros suos ament integerrime. Sunt enim unum quid cum illis : Acceperunt eos, ut tutores et custodes suos Dei providentia ac munere, pari cura educant proles suas, parique amore prosequuntur, denique omnia sua communia habent. Cæterum uxor eo magis obligatur ad diligendum virum, quo novit bona matrimonii a viro velut capite in se derivari. Diligimus enim caput plus quam cætera membra; et hæc pro conservando illo exponimus.

II. Bonæ conjugis est reverentia et honore prosequi maritum. Hoc enim sibi vult apost. cum ad Eph. V. scribit : *Uxor autem timeat virum suum, id est revereatur*, ait S. Hieronymus, *virum suum sicut Ecclesia reveretur et colit Christum.* In ep. ad Titum, ut diximus, jubet ut amet uxor virum, in hac ad Ephes. jubet ut timeat, sic timere, ut etiam amet. *Ex quibus affectibus commixtis, inquit Estius, resultat reverentia, quam debent viris suis uxores.* Quanta autem reverentia coluerit sponsum suum Maria V. colligo imprimis ex eo, quod cum uterum ferret, non indicavit causam sponso suo. Non dubito equidem, quin fiduciam habuerit in Deo, se suumque honorem ab eo defendendum, nihilominus eum facile et naturali via seipsam defendere posset, informando sponsum de re gesta, cur id non fecit? Ego sane arbitrator præ reverentia erga sponsum non fuisse ausam edicere veritatem, ne ipse rem tam miram audiendo pu-

taret sibi a sponsa sua fabulam narrari. Certe nisi sancta aliqua reverentia illam cohibuisset, utique factum gaudio et honore plenum sponso amantissimo quamprimum aperuisset, utpote et ipsi valde honorificum. Deinde colligo ex ejus sermone, quo filium Jerosolymis repertum est allocuta in hunc modum: *Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus et ego dolentes quærebamus te: ubi imprimis virum suum reverenter et honorifice præponit.* Qua de re S. Augustin. in ser. quodam de Christi parentibus scribit modestiæ fuisse Virginis, quod non dixerit: Ego et pater tuus, sed pater tuus et ego. « Christum inquit, pepererat, angelus ad eam venerat, et dixerat ei: Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Meruerat parere Filium Altissimi, et erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret: Ego et pater tuus; sed pater tuus, inquit, et ego. » Præterea honoratissimo titulo sponsum appellat patrem Christi; tametsi norat naturalem ejus patrem non esse. Considerabat enim, quod ratione matrimonii sui saltem jus aliquod paternum in filium uxoris haberet, et quod caput esset familiæ suæ. Nolit ergo sponsum, aut Josephum, aut maritum (tametsi et hoc nomen dignitatis est) appellare, sed quæsiivit prædicatum honoratius, quoquo modo ei competens, reverentiæ causa. Eo spectat, quod S. Ignatius episcopus Antiochenus et martyr, in ep. ad Antioch. scribit: *Mulieres honorificent viros suos, et non audeant eos proprio nomine vocare.* Quo ergo alio, S. Ignati? Utique honoratiore et digniore aliquo, v. g. domini, ut Sara Abrahamum; vel patris, ut B. Virgo. In hoc præceptum S. Ignatii, in exemplum quoque Deiparæ aspiciant uxores, et imprimis caveant ne probo aspergant, vel abjecto vocabulo compellent maritos, siquidem id et debitiæ observantiæ repugnat, et maximam inter conjuges simultatem, dissidium et odium excitat. Audiant uxores S. Chrysostomum, hom. XX. in ep. ad Ep. « Non dicat uxor marito: Ignave, timide, torpore plene et hebetudine, piget et somnolente. Hic aut ille humilis et abjectus, et humili loco natus, aditis periculis et susceptis peregrinationibus magnas paravit facultates, et uxor ejus gestat aurum et recta in curru mulorum alborum progreditur, in omnem partem circumfertur, habet greges famulorum et agmina eunuchorum, tu autem metuis frustra que visis et inutiliter. Ne hæc dicat uxor, et quæ sunt his similia. Est enim corpus, non ut imperet capiti, sed ut pariat atque obediat. » Sic ille.

III. Bonæ conjugis est parere marito, juxta

id I. Petri III. *Mulieres subditæ sint viris suis.* Nulla vero unquam obsequentior viro sponsa fuit, quam Maria V. Ipsa enim cum esset Dei mater, adeoque sublimior digniorque non solum omnibus mundi reginis, sed omnibus etiam angelis, ad nutum semper obedivit sponso suo, longe se inferiori, atque ita simpliciter obedivit, ut posset ei dicere illud Psalmi LXXII. *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me.* Quemadmodum enim servus domesticos solvit jumentum a præsepio, et ducit qua vult, et jumentum sequitur, non resistens, nec interrogans, quorsum ducatur aut quid agendum sibi sit: ita S. Joseph duxit sponsam suam, quacumque voluit, neque ipsa unquam vel restitit, vel interrogavit, quo duceretur, quid factu opus, quamdiu in hoc vel illo loco manendum esset. Monet angelus: *Accipe puerum et matrem ejus et fuge in Ægyptum, etc.* et rursus: *Accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel,* Matth. II. q. d. accipe statuam mulieris gestantis infantem in ulnis suis et ferto in Judæam. Non loquitur angelus Mariæ, non interrogat eam sponsus: An secum abire in Ægyptum, ibique tamdiu manere velit: nec ipsa de hoc interrogat sponsum: sed quasi pupa aliqua portari se ab infante sinit; ut bene de ipsa prædictum velit S. Ambrosius in exhort. ad virgines, ab Isaia, c. XIX. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingreditur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus.* Dicat Ambrosius, quæ sit ista nubes. *Nubem itaque dixit Mariam, ait, quia carnem gerebat levem, quia virgo erat, nullis oneribus gravata conjugii.* Ad hæc sicut nubes imbrem fert et effundit super terram: ita Maria Christum tulit, et in mundo effudit; unde a S. Ignatio in ep. ad ipsam data, appellatur christifera. Ut ergo nubes a vento quaquaversum circumfertur nec resistit: ita B. Virgo a sponso suo sese circumduci passa est, modo in Ægyptum, modo in terram Israel et Nazareth, modo rursus Jerosolymam tempore paschali. Nonne ad conspectum hujus nubis commoveri sponsæ et uxores aliæ deberent, sequi et ipsæ coram viris suis ad obediendum prosternere, ut simulacra Ægypti, quæ ad ingressum Deiparæ corruerunt? Certæ et ipsæ quædam nubes sunt, ideo nuptæ dictæ quod velatæ quo modo nubes cælum obvelant. Cæterum respectu Mariæ simulacra dumtaxat et fictæ conjuges sunt. Itaque ideæ illæ Deiparæ se conformare studeant.

IV. Bonæ conjugis est, adjuvare maritum et ad ejus obsequia manum ei porrigere. Idcirco enim viro data est in adjutorium simile sibi. Talem

se exhibuisse sponso suo Mariam V. inde patet, quod ipsa in domuncula sua paupere hera simul et famula fuerit. Quæ enim fuit, quæ mox natum ejus infantem fasciis involvit et reclinavit in præsepio? Nonne illa ipsa? Et si famula caruit, quis domi cibos paravit? Quis vestes confecit, nisi ipsa? Certe tunicam illam ex omni parte clausam et minime consutam sive laneam, sive lineam ipsa contexit, ut docet Euthymius, in cap. XXVII. Matth. ex antiqua Ecclesiæ traditione. Præterea D. Epiphanius, in vita Virginis Matris sic scribit: « *Erat locilis et amans doctrinam, et non solum in sacris litteris, sed etiam in lana et in lino serice et bysso laborabat.* Erat præterea in sapientia et intelligentia super omnes illius sæculi adolescentulas cunctis admirationi, quæ et fere conficeret ea, quorum usus in templo erat sacerdotibus. » Ad hæc D. Anselmus, in l. de vita Virginis hic habet: *Opus manuum ejus lanæ et lini et serici.* Atque hæc crediderim quidem ordinaria ejus exercitia, aliis mulieribus communia fuisse. Sed quis explicabit nobis, cætera, quæ a Spiritu s. edocta acitavit? Omnia scilicet illa, quæ Salomon, Prov. XXXI. mulieri forti et industriæ adscribit (uti explicat noster Salazar) uti inter alia de ipsa dicit, eam in colu et acu exercenda valde edoctam fuisse, stragulatam sibi vestem purpuram et byssum, ac sindonem fecisse, quæ alia non est, nisi vita omni virtutum genere excultissima, in qua elaboranda et perficienda nunquam non se occupavit: et quidem non sibi tantum, sed etiam aliis mulieribus, ut ipsius exemplo et ipsæ laborarent, similemque vestem sibi conficerent. Ait enim de illa Sapiens: *Sindonem fecit et vendidit.* Hanc ejus sindonem describit et proponit in exemplum Sanctus Ambrosius, de virginibus lib. II. his verbis: « Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas vitæque Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa prohibitis, quid corrigere, quid tenere debeatis ostendunt. » Moxque ejus virtutes describens pergit: « *Cordis humilis, verbis gravis, animo pru-*

dens, loquendi parcior, legendi studiosior non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultusit parentes? Quando dissensit a propinquis? Quando fastidivit humilem? Quando derisit debilem? Quando vitavit inopem? Eos solos solita cæcus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. » Hæc est idea non solum virginum, sed et conjugatarum mulierum: hæc stragulata vestis, purpura et byssus, hæc sindon, quam induere deberent. Cæterum cur vestem hanc et sindonem vendidisse dicitur, nisi quia illum et aliis mulieribus vult communem facere, ita tamen ut emant eam? Quo vero pretio ement? Nimirum, *Dii laboribus omnia vendunt.* Laborent igitur strenue et exerceant se in hujusmodi virtutibus et pretium adnumerabunt. Divinissimæ hujus Mariæ Deiparæ imitatrix videtur fuisse illa altera Maria, quem salutari jubet S. Paulus, in ep. ad Rom. c. XVI. his verbis: *Salutate Mariam, quæ multum laboravit erga vos.* In quem textum S. Chrysost. scribit: « Audiant et viri et mulieres, non ab armillis, nec a monilibus, neque ab eunuchis et ancillis, nec a vestibis auro intertextis, sed a perpersis pro veritate sudoribus mulieres ornantur. Nam dicit: Quæ multum laboravit erga vos, etc. » Cum hac quoque Maria multum laborarent conjuges christianæ, ut pretiosam illam sindonem parare sibi queant. Quando manus acum diu multumque exereat, transmittendo filum, tandem vestis prodit. Pari modo si et ipsæ quotidie virtutum studio incubuerint, tandem virtuosæ evadent, atque ita demum audient: *Veni sponsa Christi, accipe cornam quam tibi Dominus præparavit in æternum.*